



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Complectens Sanctos Mensivm || Ivlii Et Avgvsti

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1576-**

**VD16 S 10261**

De S. Marię Virginis ac matris Zona & Fascijs Oratio seu encomium  
Germani episcopi Constantinopolitani.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77405](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77405)

vestris ad tempus viuere, & in æternū cum ipsis, pœnis perpetuis cruciari. Interea ducti ad locum in quo prædicta arbor steterat, cum eis spatium orandi datum fuisset, exurgentes ab oratione osculati sunt se inuicem, & pariter capitalem subiērunť sententiam. Corpora autem eorum inhumata relicta sunt, sed Christiani noctū venientes, ibidē vbi arbor steterat, quia nimiam terræ altitudinem aperuerat euersio eius, se pelierunt eos. Altera verò die volentes pagani ex nimia rabie corpora eorum effodere, quicunque tentauerunt manus admouere, à diabolo arrepti sunt. Vbi postea pacis tempore, basilica fabricata est: in qua beneficia diuina exuberant vsque in hodiernum diem. Passi sunt sancti martyres Felix presbyter & Adauctus, 3. Calend. Septemb. regnante Domino nostro Iesu Christo sine fine, Amen.

Arripitur à diabolo, volētes sanctorū prophanare reliquias.

SANCTI PATRIS NOSTRI GERMANI ARCHIEPISCOPI CONSTANTINOPOLITANI ENCOMIUM,  
in adorationem venerandæ zonæ sanctissimæ Deiparæ, & in depositionem  
sanctarum fasciarum Domini Dei & Saluatoris nostri Iesu Christi, nec  
non in Encænâ templi, in quo illa deposita fuerant. Habetur in Simeone Metaphraste. Capitula margini adiecimus.



GLORIOSA dicta sunt de te, ciuitas Dei: nobis diuinus Dauid cecinit in spiritu: reuera ciuitatem, de qua gloriosa dicta sunt, apertissime vocans ciuitatem magni Regis. Quanam ea est? Existimo eum manifestissime & sine vlla contradictione dicere eam, quæ verè est electa, & omnibus superior, non domorū excellentia, & altitudine excitorum ædificiorum, sed diuinarum & sublimium virtutum magnitudine & puritate omnibus antecellētem, Mariam nulli penitus culpæ affinem, & castissimam Deiparam. In qua, qui verè est Rex regum & Dominus dominantium, habitauit, vel potius, in qua plenitudo rotius diuinitatis habitauit corporaliter.

Augusti 31. Plal. 86. Cap. 1.

Maria, præclarissima ciuitas & domus Dei.

Hæc verè gloriosa ciuitas, hæc Sion, quæ percipitur intelligentia. Hanc, ut arbitror, Dauid prædixit diuinus. Quòd si quis eius quoquè domum, gloriosam urbem vocauerit, non alienum à vero & honesto dixerit. Si enim ij, quorum nomina in terris celebrata sunt, diuturno tempore nominis memoriam conseruant: aliorum autem, quorum ne nomina quidem fas esset labijs proferre, columnæ, & templa, & simulacra vsque in hodiernum diem, etsi nomine tantum, sunt tamen extensa, & ipsi tanquam adhuc supersites, resonant in auribus simpliciorum: quid dixerit quispiam de gloriosissima & laudatissima Virgine, quæ est omni ex parte intemerata, & nulli culpæ obnoxia? Nam si ea appellata est ciuitas animata Regis Christi, meritò illius quoquè templum sanctissimum, cuius dedicationem hodiè celebramus, & est, & nominatur ciuitas gloriosa. Ciuitas non terrestris, & mortali Regi in ciuium numerum ascribens eos, qui parent eius ditioni: sed cælesti, qui transmittit ad vitam æternam, & præbet regnum suum ijs, qui ipsum sequuntur.

Cap. 2.

Dedicatio templi.

Encæniorum autem nomen, id est, dedicationis, o reuerendi auditores, nè recenter factis ædificijs, & modò coagmentatis constructionibus existimetis solum contineri: sed eam etiam, quæ in spiritu fit, renouationem significare, per quã homo noster internus, cum vetus & lacerum peccati exuerit indumentum, nouum pietatis induens, viuit in vitæ nouitate. Illis enim delectatur Virgo, ab omni penitus macula aliena, qui virtutibus & secundum Deum vitæ pio instituto renouantur. Sic castæ castis castè fruamur Encænij: & tanquam ad ipsam præsentem, & omnia vidētem accessuri: ità ad venerandum eius templum accedētes, omnia componamus, & omnia mutemus in id, quod est melius, actionem & contemplationem. Nihil sit nostro die indignum, non ingressus pedis, non risus dentium, ut dicitur, non vestis ornatus tendat ad inæcorum. Quid dico? Ipsas quoquè componamus cogitationes, & inaccessas esse Deo dignas ostendamus.

Cap. 3.

Encænâ ut celebranda.

- Cap. 4. *Veneranda zona & intemerata fasciæ.* Hæc autem omnia præcedat etiam misericordia, qua Deus colitur, vt mente, anima & corpore, encarniorum intemerata Dei secundum carnem matris diem nouo modo celebremus. Nam cum ea vnâ quoque elucer venerandæ eius zonæ, & intemeratarum eius filij fasciarum Christi veri Dei nostri, depositio & adoratio: Zona, inquam, maximè venerandæ, fasciarum preciosissimarum: Zona illius, quæ sanctissimum illud corpus constringebat, & Deum, qui in vtero celabatur, cõtinebat: Zona illius, quæ Dei arcam pulchrè & honestè exornabat: Zona, quæ sæpe humectabatur ex gurtis lactis intemeratæ Virginis.
- Cap. 5. *Egregium argumentum à simili.* Nec existimet aliquis hoc esse absurdum ex ijs, qui lubenter reprehendunt, si ea, tâquam animata alloquamur, & ea bonis verbis & laudibus prosequamur. Si enim vas, quod vnguentum vel breui tempore continuit, eo effuso, diu seruat odorem: quid dixerit quispiam de eazona, quæ verè ineffusam & diuinum vnguentum, purissimum, inquam, & ab omni reprehensione alienum Deiparæ corpus diu inuoluit, & est complexa? Non seruabit in æternum odorem curationum: & eos, qui cum fide & desiderio ad eam accedunt, bono odore implebit, non quod enervat & effœminat, & est abiciendum, sed diuino, & omni ex parte venerando, quod acerrimè expellit vitia animæ & corporis? Et si vas, vt diximus, inanimum, quod inanimum continuit vnguentum, scit esse eius qualitatis particeps, & grati odoris: quid dicemus de ea, quæ propinqua fuit animato Dei verbi habitaculo? Non accurremus? Non supplices humi procidemus? Non purgationem animæ & corporis ab ea postulabimus? Omnino. Quid verò? Non perinde à viuam alloquemur, & ei laudum cantica afferemus? Id certè faciemus.
- Cap. 6. *Eccè quæ virtutis sit hæc sacratissima zona.* O zona, quæ ijs, qui ad te confugiunt, das lumborum quidem mortificationem ad vitia, animi autem fortitudinem ad virtutum operationem. O zona, quæ nostræ naturæ imbecillitatē adstringis & roboras: & inimicos nostros tam qui sub aspectū cadunt, quàm qui non cadūt, impedis. Sed qui mihi accidit, vt dum sanctissimæ compungerer desiderio, & impetu vrgerer orationis, obliuiscerer fasciarum? Nō mirum. Dum enim mater glorificatur, latatur quoque & voluptate afficitur filius. Quinetiam legi cedentes naturæ, etiamsi res sint supra naturā, matri primū munus obtulimus. Neque omnino id ægrè feret, qui est summè bonus Dominus. Cū enim verè homo ex ea progredi ei visum sit, & eius appellari filius, nos non condemnabit imprudentiæ, quæ extitit secundum hominem, is qui est summè misericors.
- Cap. 7. *Fasciarum Christi encomia.* Sed facta mentione fasciarum, rursus reuertor ad illam, quæ Dominum peperit. Ea enim illas suis castis confecit manibus. Ipsa, vt infans oportuit, magnum Dominum maternis manibus in his inuoluit. Ipsa cum ijs cum ferens in gremio lactabat, qui supra rationem præbebat omni naturæ spiritum & alimentum. Sed o fasciæ, quæ liberatorem Dominum inuoluistis, & nostrorum peccatorum catenas dissoluistis. O fasciæ, quæ fortem Dominum constrinxistis, & imbecillitatem nostri generis robastis. O fasciæ, quæ fideles quidem custoditis & conseruatis: eos autem, qui contra se habent, ligatis & prosternitis. Sed o fasciæ & zona veneranda, tribuite sanctificationem, corroborationem & expiationem ijs, qui fide accesserunt ad sanctum hoc templum, & cum desiderio vos colunt, & adorant.
- Cap. 8. *Item zonæ venerandæ.* O zona veneranda, quæ tuam ciuitatem circundas & contines, & conseruas à barbara illasam excursionem. O zona preciosâ, quæ Deum verbū, cū esset in vtero, inuoluisti, & curationum benedictionem affatim illinc hausisti. O iucunda zona, quæ à corruptione alienæ Dei matris summè honesto corpori honestè appropinquasti, & illinc induisti incorruptionem, manens illabefacta, & aliena ab interitu: vt ad nos peruénit quædam narratio veritati consentanea. Sed quid conamur ingredi adyta, & sepra festinamus transilire, eis verborū honorè pro dignitate conantes tribuere, quod profectò ne Angeli quidem possunt facere? Sed veniamus rursus ad supplicationem.
- Cap. 9. *Cap. 9.* O veneranda zona summè venerandæ Dei matris, accinge lumbos nostros veritate, iustitia & mansuetudine. Fac nos hæredes æternæ & beatæ vitæ, & hanc nostram vitam interitū obnoxiam conserua, nè eam lædant inimici, tam qui sub visum cadūt, quàm qui non cadunt. Tuam hæreditatem, tuum populum, o intemerata zona intemerata, conserua rectos fide, saluos vita, quæ est secundum Deum, & nullo scanno & iniuria affectos. Habeamus te vires & auxilium, murum & propugnaculum, portū & salutare refugium.
- Cap. 10. *Cap. 10.* Tu autem o castissima & optima, & summè misericors Domina, Christianorum solatiū m

solatium, eorum, qui affliguntur, potentissima recreatio, paratissimum refugium peccatorum, nè nos relinquant orbos tua defensione. Nam si tu nos deserueris, quoniam confugiemus? Quidnam autem de nobis fiet, ò sanctissima Deipara, spiritus & vita Christianorum? Quomodo enim corpus nostrum, vitalis signum operationis habet respirationem: ita etiam sanctissimum tuum nomen, quod in ore seruatorum tuorum versatur assidue, in omni tempore, loco & modo, vitæ, lætitiæ & auxiliij non solum est signum, sed ea etiam procurat & cõciliat. Nos proregas alis tuæ bonitatis: nos custodias tuis ad filium tuum & Deum intercessionibus: præbeas nobis vitam æternam, ò spes Christianorum, quæ pudore non afficeris.

Nos, qui sumus egeni diuinorum operum & morum, per te nobis præbitas contemplati opes benignitatis, dicamus: Misericordia Domini plena est terra. Nos qui propter multitudinem peccatorum à Deo eiectionis eramus, per te Deum quaesiuimus: & cum inuenissemus, salui facti sumus. Potens ergò ad salutem est tuum auxiliū, ò Deipara, & non indiget aliquo alio ad Deum intercessore. Hoc nos certò scientes, vt qui etiam, cum sæpè petierimus, experientia didicimus, te esse vehementissimam nostram defensionem: assatim postulandi sumimus occasionem, & in præsentia ad te confugimus tuus populus, tua hæreditas, tuus grex, qui tui filij appellatione exornatur & gloriatur.

Non est reuerà finis tuæ magnitudinis, non est vlla satietas tuæ defensionis, non est numerus tuorum beneficiorum. Nullus enim est, qui saluus fiat, ò sanctissima, nisi per te. Nemo est, qui liberetur à malis, nisi per te, ò purissima. Nemo est, cui donum concedatur, nisi per te, ò castissima. Nemo est, cuius misereatur gratia, nisi per te, ò honestissima. Quamobrè quæ non te beatam pronunciat? Quis non glorificabit? Quis non magnificabit, si non pro dignitate, at promptè quidem certè & alacriter, Te, quæ es glorificata: Te, quæ es dicenda beata: Te, quæ magnalia es consecuta ab ipso tuo filio & Deo, verè magna & admirabilia? Quamobrè te laudant omnes generationes.

Quis post tuum filium ita generis humani curam gerit, sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis tam citò præueniens, nos ab irruentibus liberat tentationibus? Quis in supplicationibus adeo pugnat pro peccatoribus? Quis ea, quæ corrigi non possunt, adeò repugnando excusat? Tu enim cum habeas maternam apud tuum filium fiduciam & potentiam, nos, qui sumus condemnati, & nõ audemus intueri ad cæli altitudinem, tuis interpellationibus & intercessionibus ei efficias familiares, & das salutem, & ab æterno liberas supplicio. Quamobrè is, qui affligitur, ad te confugit. Qui iniuria afficitur, ad te accurrit. Qui est rebus asperis & aduersis implicatus, tuum inuocat auxilium. Omnia tua sunt admirabilia, ò Deipara. Omnia supra naturam. Omnia ingentia, & aliorum vires superantia. Propterea & patrocinium tuum maius est, quàm vt intelligentia comprehendere possit. Homines enim ipsos olim reiectos, expulsos, expugnatosque, tuo partu reconciliasti, domesticos effecisti, filios & hæredes. Tu quotidie peccatorum pelago fluctuantibus hominibus adiutricem manum extendens, eripis à fluctuatione. Tu nequissimi hostis contra seruos tuos inuasiones, sola tui nominis inuocatione sanctissima repellens, tutos atque incolumes seruas. Tu implorantes te homines, ab omni necessitate ex omnigenis tẽtationibus opportunè liberas. Quamobrè ad templum tuum studiosè accurrimus, in quo cum stamus, in cælo ipso stare nos credimus: in quo te celebrantes, in Angelorum choro versari nos existimamus. Ecquodnã genus hominũ ralis gloriæ diuitias assecutum est? talem opem, tale patrocinium possidet, quale Christianorum natio in te habet? Ecquidnam ex fidelibus venerandam tuam zonam intuens, non statim animi iucunditate repletur? Quis feruenti animo ad eam præcurrens, honesta petitione inanis redijt? Quis tuum characterem inspiciens, non subito angustias omnes oblitus est? Nõrunt qui ad venerandum hoc templum tuum accedunt, in quo preciosam zonam reponi concessisti, & filij tui ac Dei nostri incunabula, quorum depositionem hodie no die celebramus: quanto gaudio, quanta delectatione, quanta hilaritate affici soleant. Non enim verbis explicari potest. O vas illud, ex quo recreationis manna nos, malorum ardoribus arefacti, ebibimus. O mensa, per quã esurientes nos panem vitæ abudè adepti sumus. O lucerna, per quã, qui sedebamus in tenebris, magna luce illuminati sumus. Habes tu quidẽ à Deo ipso dignas & congruentes tibi laudes: sed nè, quæso, repellas hanc nostrã indignã quidem laudationẽ, sed ex animo tamẽ tibi oblatam.

Vide quid antiquitas tribuerit sanctissimæ Virgini.

Psal. 32.

Cap. 11.  
Ecce quàm potētissima sit sancta Dei genitrix.

Cap. 12.

Nota quid Catholici sentiant de matre Domini.

Refugium peccatorũ & consolatrix afflictõrũ S. Maria.

Non dubiū,  
quin sanctis  
suis inter-  
cessionibus  
hæc præstet  
Deipara.

tam. Nè repellas sordidis labijs pronunciatam orationem, quam beneuolè tibi offerimus. Nè, quæso, tenuis & indignæ linguæ supplicationem reicias: sed animum remetiens, peccatorum nostrorum remissionem nobis concedas, sempiternæ vitæ fruitionem, & omnium malorum liberationem. Respice de sancto habitaculo tuo circumstantem fidelem populum, qui cum te Dominam & patronam habeat, huc conuenit, vt toto animo te celebraret. Diuina igitur protectione tua præsentem visitans cœtum, ab omni calamitate & angustia, ab omni morbo & incommodo, atque violentia liberatum, omni gaudio, salubritate & gratia prosequere, atque in aduentu filij tui clementissimi Dei nostri, cum assistemus omnes iudicandi, tu, quæso, vt maternam habens fiduciam, & maximam potentiam, valida illa manu tua ab æterno igne nos eripiens, fac vt sempiterna consequamur bona: gratia illius & benignitate hoc præstante, qui à te genitus est Dominus noster Iesus Christus: Cui gloria & Imperium nunc & semper, & in secula seculorum, Amen.

**EVTHYMII MONACHI ENCOMIUM IN ADORATIONEM VENERANDÆ ZONÆ SANCTISSIMÆ Deiparæ, & Fasciarum Domini, necnon in anniuersarium diem Dedicacionis Templi in Chalcopratijs, propter collocationem sanctæ capsæ, prædicta continentis. Habetur in Simeone Metaphraste.**  
*Nos capitulum numerum ad marginem adiecimus.*

Augusti 31.  
Cap. 1.  
Zona sanctissimæ  
Virginis  
veneranda.



**P**ROPOSITA est nobis hodiè ad adorandum, & spiritaliter celebrandum (ò purum mihi adiutoriū) veneranda & insignis & colenda vel ab ipsis supremis ministris nostri secundum gratiam, qui non potest comprehendendi, patris, integra, intacta & incorrupta zona, supra quam dici potest, benedictæ & gloriose semper Virginis, & intemperata Dominæ nostræ Deiparæ. Cum itaque animas & corpora per virtutes, quæ reprehendi non possunt, & Deo dignæ sunt, nos omnes abluerimus, ita accedamus ad eius diuinum & suspiciendum, & quod supercælesti loco non est inferius, templum. In quod quicumque, vt videt, ingreditur, tanquam in celo quodammodo, perpetuos & indeficientes cultus, & glorificationes facit cum timore & cordis exultatione, maximè autem hodiè.

Cap. 2.

O miraculum in primis nouum & alienum: quoniã post stupendam & lætam adorationem preciosissimæ & maximè regię, & Christo dilectæ zonæ, vel ipso, quod est in Eden, paradiso preciosius, vt diximus, hoc templum fuit dedicatū. In quo etiam Domini nostri Iesu Christi, qui est vnus ex super substantiali & increata Trinitate, repositæ sunt (ò mysterium, ò rem nouam & inauditam) quæ precio æstimari non possunt, & Deum decent, fasciæ, lucidæ & fulgenti zonæ coniunctæ. Et quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudationes eius: aut quomodo possem ego hoc duplici luce resplendens festum, verbis exornare splendidis, primū quidem vt Deo placeam, & ei, quæ eum peperit sine semine, & planè ineffabiliter: deinde etiam, vt prosum ijs, qui conuenerunt & iucundè exultant?

Cap. 3.  
Actor. 1.

Atqui vita quidem excelsa carens, quam conuenit habere eos, qui volunt scribere: (Primū enim cœpit Iesus facere, deinde docere) quinetiam spiritali egens oratione, (oportet enim linguam habere theologicam, vt non opus habeat aliò conuertere oculos, quàm ad viros diuinos, qui olim locuti sunt pulchrè & panegyricè) nihil aliud efficiam oratione, quàm molestia afficiam eos, qui conuenerūt, indecora verborum humilitate, & obscura, ac inornata dictione. Sed tamen viri fidelissimi implètes obedientiam, & eius, qui est diuinis repletus, eamus iam duplex ad festum laudandæ semper & beatæ Virginis. Dabit enim verbum, inquit, Dominus euangelizantibus virtute multa.

Psal. 67.

Cap. 4.

Agè verò huic diuino, excellenti & iucundo diei nouum aliquod prius, comparemus & exæquemus spectaculum, & ita nobis orationem consequenter suppetante ea, quæ sine vllis loci angustijs cepit, ac continuit consistens Verbū patris, adijciamus  
coro.